



85

4

RITUALIA
ROMANUM

1

BX2035

.B3

v.1

c.1

264



1080046313

Sacra R. Cong. die 7 sept.
1850 delibavit: Rituale
Romanum, eiusque leges uni-
versalem afficiunt Ecclesiam,
integre servetur.

964

E#2-6#HH

260

EL TESORO DEL SACERDOTE.

COMMENTARIA

AD RITUALE ROMANUM.



D^s Benavides.



EL TESORO DEL SACERDOTE.

COMMENTARIA

A D

RITUALE ROMANUM,

AUCTORE

Hieronymo Barnifaldo

FERRARIENSI,

SACRAE INQUISITIONIS CONSULTORE, ET INSIGNIS COLLEGIATAE
CENTENSIS ARCHIPRESBYTERO.

Correcta et aucta cum omnibus decretis datis per S. C. R.
specialiter ad Mexicanam ecclesiam.

Cum approbatione ordinarii.

TOMUS I.

PUEBLA.

Imp. de NARCISO BASSOLS, Editor, dirigida por Isidoro Bolet

1868.



38286
DEL ESTADO DE NUEVO LEON
ACERCA PUBLICA
38286

B X 2035
B3
V.1



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON



AUCTORIS
AD LECTOREM PROEMIUM.

Ex quo Doctissimus Sacrorum Rituum Interpres *Bartholomaeus Gavantus* opus suum elucubratissimum *Commentariorum, ad Rubricas Missalis, et Breviarii Romani*, satis prospere, et bono nomine exegit, typisque evulgavit, centesimus hodie annus completur. Hoc unum prorsus deerat, ut *Rituale Romanum*, quod non minus quam Missale, et Breviarium, prae manibus quotidie a Sacerdotibus habetur, ob difficultates, quae in Sacramentorum, et Sacramentalium usu, et ministerio, in dies insurgunt, animadversionibus, commentariisque aliquo pacto perpenderetur, per quae, rerum in eo contentarum tuto, et inoffenso pede fieret ministratio.

Quam provinciam licet satis arduam, Deo sic suadente, pro meis viribus, etsi exiguis, assumere ausus sum, in unum ea congerendo, quae non tantum oculis meis adverti, sed in optimis, probatisque Authoribus, praecipue canonicis, et de Sacris Ritibus tractantibus notata, ac in Sacris Congregationibus resoluta, necnon a Pontificiis oraculis pronuntiata fuere, ad argumentum meum conducentia, comperii;

adeo ut his omnibus in unum congestis, Volumen hoc efformaverim.

Ritus igitur omnes, et singuli continentur in hoc Volumine, quorum usus á Parocho fieri potest, tam in Sacramentis sibi tantummodo pro ministerio atque ex officio assignatis, quam in caeteris ad animarum curam spectantibus, pro spirituali gubernio, pro sacrarum rerum decore, pro solamine viventium, ac demum pro Defunctorum suffragio: quidquid enim in Rituali Romano locum habet, vel respicit Deum, quoad ejus cultum; vel Sanctos, quoad illorum venerationem; vel Animas Fidelium, illorumque res, ad juvamen, instructionem, atque sanctificationem. Nonnulli Ritus ad Sacramentorum administrationem pertinent, nonnulli, et numero majores ad Sacramentalia, a Baptismo ad Exequias usque deveniendo: cuncta vel in se, vel in rebus suis hominem Christi Fidelem sanctificant, dirigunt, custodiunt, exornant, expiant, atque purificant, modo una, modo alia solemnitate, statutis precibus adhibitis, servataque methodo in rebus sacris appobatori.

Quoniam vero ad hoc potissimum, Volumen Rituale ab Ecclesia institutum est ut ad manus Parochorum quotidie habeatur, operae pretium duxi ad faciliorem illius intelligentiam, et usum, his Commentariis praeire et lumen quodammodo rebus agendis praeferre: plura enim, quae in Rubricis, seu Regulis generalibus enunciantur, Parochum, sive Sacerdotem satis edoctum supponunt ad ea intelligenda, quae ministrat, ut nullitates evitentur praesertim in Sacramentorum ministracione. Sane in bene accuratis Ecclesiae ministris, res Sacras rite, et recte, justoque, et convenienti decore tractantibus, quaedam elucet majestas, et imperium, ut quandoque Angeli ipsi operam suam illis praebere non sint dedignati: visique non raro sint Daemones contremiscere, et in fugam verti: non enim incassum tot, et tanti Ritus ab Ecclesia instituti sunt: tot Preces, tot Orationes; tanta sacrorum thymiamatum profusio, sanctorumque Oleorum effusio; tot signa, et vexilla, cantus, lumina, adorationes, aspersiones, et caetera ad Sacramenta, et Sacramentalia conficienda inservientia: sed omnia, et singula apposite, suisque adornata mysteriis, et significacionibus exhibuit, ut non solummodo materialiter, sed spiritualiter in conspectu Dei, ad

designatos fines, debita rerum dispositione, tali, et non diverso modo parata operarentur.

Quae mysteria si optime, et perfecte ab Ecclesiae Ministris attingerentur, explicarenturque fidelibus Populis, ad mentem Sacrorum Canonum, et praecipue Sacrosancti Concilii Trident. *Sess. 10 de ref. cap. 7.* sane pluris apud illos valerent, ac majori veneratione colerentur.

Ad hanc metam pertingendam plures Theologi, infinitis propemodum animadversionibus, disceptationibus, elucubrationibus, laboribusque insudarunt: hoc quotidie quaerunt Sacrae Congregationes Almae Urbis, et illa praecipue quae pro Sacris Ritibus conservandis, interpretandisque a Sixto V. instituta, in dies convocatur. Ad hoc tot Summorum Pontificum Decreta, Constitutiones, Sanctionesque tendunt, ut decore ritu in sacris dirigatur, manuteneaturque Ecclesia illa, quae una est, nec multipliciter patitur.

Quae omnia tamen ab uno Parocho, seu Ecclesiae Ministro perfecte attingi non possunt, ob Authorum, Librorumque infinitam propemodum copiam, quorum acquisitio, et usus non adeo facilis est, variis de causis, sed praesertim ob rerum familiarium angustiam, qua plurimi detinentur, hoc uno contenti, ut reiteratis in Rituali monitis pareant, de illo Sacro Volumine prae manibus habendo in Sacramentorum, et Sacramentalium ministracione. Quod si difficultas, ac nodus satis inextricabilis insurgat in tali ministerio, nullum, quem consulant, Doctorem habentes, vel casu bene se gerunt, vel irreparabiliter a recta semita aberrantes, damnum pro nihilo valent reparare.

Hoc mihi inhaerens animo, factum est, ut prima usque ab adolescentia, dum pene sacris initiatus forem, me ad ea, quae Ecclesiasticum virum decent, converterem, Ritusque Sacros adeo enixe perpenderem, enuclearemque, ut quaecumque a Sacris Ministris peragerentur, ad trutinam avocare statuerem; rationesque inquirere non trepidaverim. Ab illa usque aetate multa recondere placuit a SS. Patribus, Theologisque decerpta, quibus dubietates meas suis loco, et tempore, enodarem, ac perfecte ea, quae intus mysteria latent in Sacris Ritibus, aperirem: non enim syllaba, non interpunctio in Sanctionibus Ecclesiasticis otiose jacet, atque inutiliter.

Scopus igitur meditationum mearum, atque horum *Commentariorum* (in quibus data aliquali doctrina, semper remissive me habeo) ille fuit, ut significationes Sacrorum Rituum aperirem, difficultatesque, quae in dies oboriri solent, explanarem, pro eo tantum quod spectat ad Rituale Romanum. Quod ut promptius, tutiusque adimpleretur, ex mea sententia nihil promere ausus sum, sed doctrinis SS. Patrum, Theologorum, Canonum, et Sacrarum Congregationum innixus Decretis, et Resolutionibus inspectis, Doctorumque, praecipue Canonistarum placitis ad examen vocatis, omnia ad unum finem dirigere optimum fore sum ratus.

Ab antiquis Ritualibus Libris non pauca excerpti, ut collatione eorum facta cum recentioribus, illud demonstrarem, omni tempore Ecclesiam Catholicam studuisse novo ornatu incedere, sed nusquam a primaevo usu dissentire quoad intrinsecus latentia mysteria, et fundamenta Catholicae Religionis.

Prae caeteris, *Acta Mediolanensis Ecclesiae* per S. Carolum Borromaeum Episcopalis dignitatis sidus, et columnen, elaborata, ante oculos habui, atque ex illis tanquam e limpidissimo fonte, plurima ad institutum meum facientia exhaurire non destiti, ut tutius cuncta dicenda procederent. Item *Sacerdotale Brivinese* per Guillelmum illius Ecclesiae vigilantissimum, Doctissimumque Episcopum ab anno 1640. evulgatum, frequentissime percurrere non renui. Volumen enim illud, licet uni Provinciae accommodatum videatur, attamen post Rituale Romanum, multa, et quidem non parvi ponderis mihi suppeditavit: utpote quia non tantum in Ritibus exponendis moretur, sed illos optimis monitis, et animadversionibus illustrando, ea praestet, quae Sacris Ministris maxime inserviunt ad rectae ministrationis praeludia, et ad evitandum dedecus, et dissonantiam a rebus sacris omnino avertendam.

Haec sunt quae te scire, humanissime Lector, exoptavi, quae a me clariori quam potui methodo exposita sunt, stylium Canoniarum rerum insequendo, et subtilitatem sermonis praetereundo, quae minime ad res practicas, et instructivas pertinet: Quod nollem te malo animo ferre, ac propter haec te mihi molestum futurum fore. Scio utique nullatenus vitari posse reprehensionem nisi nihil scribendo: sed quoniam

scribere decrevi, hoc unum a te vellem ut neque corripere, sed iudicium suspenderes more Iudicis, cui calculus tertius datur; nec semper imponitur necessitas aut *absolventi*, aut *condemmandi*; sed etiam ut, *non liquere*, pronuntiare possit. Vale. (*Baco de Verul. de certit. leg. apbor. 40.*)

Hujusce Operis adeo invaluit usus apud Ecclesiae ministros, ut prima Veneta editio, (non obstante altera Augustae Vindelicorum, et Dilingae habita anno 1735. cum praeclarissimum Virorum in Ecclesia Augustana Praelatorum approbatione) ferme in Italia defecerit. Cui deficientiae cum non alio pacto subsidium ferri posset, nisi illud noviter recudendo: factum est, ut paternus Authoris amor per diligentissimos Typographos Balleonios certior factus, atque invitatus, ad augendam messem, illamque cribrandam, purgandamque se se admoveret, ita ut haec altera editio frugum ulterius onusta revivisceret. In hoc enim intermedio tempore nonnulli Authores insurrexerunt, et quidem excellentes in hoc eodem Argumento, a quibus nova Sacrarum Urbis Congregationum decreta noviter enucleata fuere: inter quos prior eminent, velut inter ignes luna minores, Sanctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter sedens, qui quinque Sacrarum Constitutionum Volumina, et quatuor de SS. Canonizatione magna Ecclesiastica doctrina cumulata evulgavit: Dein P. Cajetanus Merati ad Gavantum, et P. Joannes Michael Cavalieri in tribus usque modo Voluminibus ad sacrarum Congregationum Decreta orbem impleverunt. Quae omnia cum Operi huic multum faveant, saepe saepius hic relata inveniuntur, ad hoc ut haec nova regeneratio, perfectius quantum fieri possit, absolvatur.